Hoc est translatum bene et fideliter factum et extractum a quodam instrumento publico per alfabetum diviso. cuius tenor dignoscitur esse talis. Pateat universis quod nos. D. de Urrea. Dei gratia Sexen humilis priorissa et G. amata
subpriorissa et Alaydis comitissa de Armagnacho sacrista. et Guillelma de Sancto Poncio cantrix. et Urracha de Pisignena claviga et frater. D. Petri. prior et frater. J. Petri. preceptor et frater. P. Naschoni clavigerius
nos omnes insimul et unusquisque per se et in solidum comuni assensu et voluntate ac deliberato consilio totius capituli dominarum et fratrum eiusdem per nos et omnes nostros bono corde ac gratuito sciens atque consulte
et ex certa sciencia et sano ducti consilio cum hoc publico instrumento perpetuo valituro damus laudamus concedimus et cum auctoritate durabili firmiter confirmamus vobis Martino Palmo uxorique vestre Domenge et vobis Betholomeo
Serrano uxorique vestre Oria vestrisque omnibus successoribus quendam ortum nostrum cum domibus et puteo et canalle quem ortum habemus et iure nostro hereditario possidemus ad tributum censuale videlicet per C. XX. solidos censuales monete
Iaccensis currentis in Aragonia. Quod tributum C. XX. solidorum. vos dicti receptores vel vestri vel qui pro vos vel post vos dictum ortum nostrum cum domibus et puteo et canalle tenuerint
vel possederint detis et solvatis nobis et monasterio de Sexena in primo die mensis Januarii annuatim et de anno in annum nunc et semper. In civitate Oscensi in bona fide ac plenarie ac secure et sine prolongamento
et aliquo retardo. Et dictus ortus et domus et puteus et canalle affrontant ex prima parte in orto fratrum minorum. alia in orto de Abulbacha judeo tercia in via publica. quarta vero in algafiro Montearagonis.
Quarum sicut predictis omnibus affrontacionibus includitur et ambitur sic nos donatores dicti pro nos et nostros successores dictum ortum nostrum et domos et puteum et canalle. pro dicto tributo C. XX. solidorum nobis et
monasterio de Sexena persolvendo annuatim et nunc et semper termino in premisso et sicut superius est expressum. Vobis dictis receptoribus vestrisque successoribus omnibus damus concedimus et laudamus et ipsa omnia
predicta et singula incontinenti in vestram vestrorumque corporalem possessionem tradimus et mittimus cum introytibus exitibus terminisque suis pertinenciis melioramentis que ibi facere poteritis de celo usque
ad abyssum et sicut nos ipsa omnia predicta et singula melius possidemus ad habendum. tenendum. possidendum. expletandum meliorandum. et non in aliquo vel aliquibus peiorandum. pro vendendo. vestris consimilibus dare.
cambiare alienare facere complere omnes vestras vestrorumque voluntates. preter quam faciedas sicut de vestra propria hereditate exceptis tamen militibus. infanzonibus religiosis. clericis ordinibus atque personis. quod si de morte
vel domus vel puteus vel canalle. monasterio quod non vendantur vel pro ipsorum omnium predictorum non ab eisdem quolibet modo alio habeantur. Et retenta fadiga. XXX. dierum. si dictus ortus vel domus vel puteus
vel canalle. vel pro ipsorum deberet vendi vel si quis aliquis aliis habeamus et retenta aqua de puteo et canalle nunc et semper ad totam nostram expensam nostri cellarii intrantes domum maiorum et ibidem
quolibet habitantes. et retentis et salvis nobis et monasterio de Sexena tributum. C. XX. solidorum dicto termino. nunc et semper et annuatim termino in premisso et iure nostro ac dominio in omnibus per omnia universo modo. et perpetua
sempiterna vos dicti receptores et vestri successores omnes adimplendo et observando predicta omnia et singula superius annotata. nos dicti donatores pro nos et nostros omnes vobis vestrisque promittimus ac convenimus bona
fide esse legitimi deffensores contra omnes homines excepta potestate terre. ut vos et vestri predicta omnia et singula. pacifice teneatis et possideatis et possideatis sicut superius continetur ad vestri vestrorumque
comodum et perpetuum et liberum salvamentum. In cuius rei testimonio presens instrumentum nostri sigilli munimine firmiter ac perindissolubiliter roborantes. Ad hec nos Martinus Palmo et uxor mea Domenga et
Betholomeus Sarano et uxor mea Oria. pro nos et nostros omnes successores omnes insimul et unusquisque per se et in solidum dictum ortum et domus et puteum et canalle de vobis priorissa et aliis prescriptis omnibus sub
dictis condicionibus recipimus et convenimus ac promittimus bona fide dare vobis tributum. C. XX. solidorum. dictum tantum nunc et semper et annuatim termino prefixo et omnia prescripta alia et singula generaliter
et specialiter fideliter adimplere ac firmiter observare in omnibus atque sequi ad comodum et salvamentum monasterii de Sexena et habitantium in eodem modo et perpetua sempiterna. Acta carta mense Januarii
Era. M.ª CC.ª LXXXX. V.ª Signum. U. Dei gratia priorisse. Signum. G. Amate subpriorisse. Signum. Alaydis comitisse et sacriste. Signum. G. de Sancto Poncio cantris. Signum. Urrache de
Pisignena clavigere. Signum fratris. D. Petri. prioris. Signum fratris. J. Petri. preceptoris. Signum. fratris. P. Naschonis clavigeri. Signum. Martini Palmo. Signum. Domenge uxoris eius. Signum.
Betholomei Sarani. Signum. Orie uxoris eius. Nos omnes qui hoc laudamus et firmamus pro nos et nostros testesque firmare rogamus. Signum. Petri Sora. Signum. Petri Samudi. cives civium
Oscensium. testium huius rei. Petrus de Juncera Sexen notarius publicus qui hoc scripsit et suum signum posuit.

Signum mei Fortunii de Montcastro notarii publici Oscensis qui hoc translatum scripsi.

GOBIERNO DE ARAGON

11/1

1257-1-

Legajo 1º Nº 2

Nº 71

1257

tributazion

t 47

P. 14. 1295.